

et exinde aqua fluxit et Sanguis. Unum baptismatis symbolum, aliud sacramenti. Ideo non ait: Exiit Sanguis et aqua; sed, exiit aqua primum et Sanguis: quia primum baptismate diluitur, et postea mysterio dedicamur.

**R.** Empti esti pretio magno: \* Glorificate, et portate Deum in corpore vestro.

**v.** Pretic empti estis: nolite fieri servi hominum.  
Glorificate.

#### LECTIO VI.

**L**ATUS miles aperuit, et templi sancti parietem patefecit. Et ego thésaurum præclarum inveni, et fulgentes divitias me gratulor reperire. Sic et de illo agno factum est. Judæi ovem occiderunt, et ego fructum de sacramento cognovi. De latere Sanguis et aqua. Nolo tam facile, auditor, transeas tanti secreta mysterii. Restat enim mihi mystica atque secretalis oratio. Dixi baptismatis symbolum et mysteriorum aquam illam et Sanguinem demonstrare. Ex his enim sancta fundata est Ecclesia per lavaci regenerationem, et renovationem Spiritus Sancti. Per baptismam, inquam, et mysteria, quæ ex latere videntur esse prolatæ. Ex latere igitur suo

Christus ædificavit Ecclesiam, sicut de latere Adam ejus conjux Eva prolata est. Nam hac de causa Paulus quoque testatur, dicens: De corpore ejus et et de ossibus ejus sumus, latus videlicet illud significans. Nam sicut de illo latere Deus fecit fœminam procreari; sic et de suo latere Christus aquam nobis Sanguinem dedit, unde repararetur Ecclesia.

**R.** Commendat charitatem suam Deus in nobis: \* Quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est

**v.** Multo igitur magis nunc justificati in Sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.

Quoniam.

Gloria Patri.

Quoniam.

#### IN TERTIO NOCTURNO.

**Ant.** Exiit ergo Jesus portans Coronam spineam, et purpureum vestimentum, et dicit eis: Ecce Homo.

**Ps.** Ut quid Deus repulisti in finem, fer. 5 ad Mat.

**Ant.** Et bajulans sibi Crucem exiit in eum, qui dicitur Calvariae, locum: ubi crucifixerunt eum.

**Ps.** Domine, Deus salutis mæ, fer. 6 ad Mat.

**Ant.** Ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus